

tere *directè* eos semper infallibiles fore in docendâ Ipsiâ doctrinâ. — Ergo denique hæc infallibilitas Auctoritati supra Ecclesiam constitutæ multiplici modo [promissa est.

Objicitur 1° : « Promissiones supradictæ sunt factæ ad Apostolos; ergo non ultra eorum vitam extendendæ. »

Resp. : *Nego consequentiam*, utpote repugnantem tum evidenti promissionum scopo, qui est ad providendum necessitatibus Ecclesiæ permanentibus, tum ipsi sensui quem secum ferunt expressiones: *Non prævalebunt. . . . , in æternum. . . . , usque ad consummationem sæculi* (1).

Objicitur : « Promissiones illæ sunt conditionales, id est, si Apostoli et eorum successores in verâ doctrinâ Christi perseverent : Ergo non probant illos fore absolutè infallibiles. »

Resp. : *Nego antecedens*, ut pote quod 1° gratuitò supponitur, et 2° repugnat tum promissionum scopo, qui est ad confortandum Apostolos, tum ipsarum sensui, ex quo assistentia Christi ad Apostolorum perseverantiam ordinatur non tanquam consequentia ad causam, sed è contrâ tanquam medium ad finem. Et certè, secus, promissiones Christi ad hæc reducerentur: *Ego vobiscum ero quamdiu mecum manebitis; — Ecclesia ab errore immunis erit, quamdiu in veritate stabit. . . . etc., etc.* Porro quid inde consolationis et fiduciæ pro Apostolis? Quid pro Fidelibus in decursu temporum?

Objicitur 3° : « Promissiones Christi, si adeo strictè sumantur, nimis probant : ergo nihil probant. — Etenim 1° probant infallibilem fore quemque ex Apostolis, imò et ex eorum successoribus : quod admitti non potest : »

Resp. : Unusquisque ex Apostolis ipsis, de facto, certè nunquam erravit, ut constat ex eorum miraculis (V. suprâ, n. 3); imò et reverâ infallibilis fuit, ut communi traditione tenetur; non autem præcisè, excepto Petro, vi supradictarum promissionum; nam illæ diriguntur ad

(1) In hanc ultimam expressionem V. Bossuet; 2° *Instr.* § XXXIX; — Wiseman, *Confér. cit.*, p. 786, 787.

apostolicum corpus seu collegium, non autem ad singulos Apostolos, si Petrum excipias ad quem singulariter sumptum illarum quæque promissionum prius facta est. Unde ad successores quidem Petri singularitè, ut postea probabitur, ad successores verò cæterorum collectim pertinent.

Inst. : « 2° Probant igitur Petrum singularitè, cæteros verò collectim infallibiles fore in quâcumque doctrinæ Christi expositione : quod rursus admitti nequit. »

Resp. : In quâcumque doctrinæ Christi expositione factâ cum manifestâ intentione utendi plenè suâ auctoritate : *Concedo*; — secus; *Nego* (De hoc fusiùs alibi).

Inst. : « 3° probant etiam Ecclesiam non solum ab errore sed et à peccato fore immunem, etenim per peccatum etiam prævalet Infernus, nec manet Christus. Atqui id admitti nequit. »

Resp. : Per peccatum prævalet infernus nec manet Christus. . . in animis : *Concedo*; — . . . in societate : *Nego*. Nam, quamdiu societas quatenus societas doctrinam Christi verè docere et leges Christi pro suis profiteri non destiterit, verè dici poterit *regnum Christi, Ecclesia Christi*, etiamsi quisque ferè membrorum ejus illas leges imò et illam fidem pro se violaret : non item verè si ipsa societas quatenus societas aliam doctrinam docere, alias leges profiteri cœpisset. Hinc promissiones Christi tum ad Ecclesiam in genere, tum speciatim ad collegium apostolicum evacuarentur quidem si aliâ doctrina, aliæ leges Christi unquam in nomine Ecclesiæ aut collegii apostolici prædicarentur : non autem evacuabuntur per vitia, imò per infidelitatem privatam maximi etiam numeri (quod absit!) membrorum Ecclesiæ aut apostolici collegii. (Et in hoc sensu intelligi forsitan posset textus qui aliquando nobis objicitur : « *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terrâ?* » Luc., XVIII, 8. — Cfr S. August., *de Unit. Eccl.*, n° 38.) — Observandum est tamen corruptionem vel infidelitatem nunquam apud Ecclesiam membra ita fore prævalituram, ut Ecclesia desinat verè esse *sancta*, imò et *præeminenter* : sed hoc infra aliunde probabitur.

III° *In Epistolis et Actibus* demum, existentia Auctoritatis in docendo infallibilis *confirmatur* ex Apostolorum *verbis et praxi*.

1° *Ex Apostolorum verbis*: nam S. Paulus, cujus, sicut et cæterorum Apostolorum, auctoritatem doctrinalem ex ipsorum miraculis comprobavimus, — 1 — satis indicat quòd *Ecclesia universim sumpta* veritatem infallibiliter servabit ac sustentabit in mundo; quandoquidem ab eo vocatur *Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* (I Tim., III, 15). — Idem verò — 2 — *speciatim* testatur datos esse à Christo in eâ ministros qui homines, quamdiu aderunt homines docendi, ab errore et incertitudine immunes faciant, proindeque usque ad finem mundi *doceant* infallibiliter: — « *Et ipse Christus dedit quosdam quidem*
 » *Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò evange-*
 » *listas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem*
 » *sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis*
 » *Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei et*
 » *agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram*
 » *ætatis plenitudinis Christi; ut jam non simus parvuli*
 » *fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in ne-*
 » *quitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris* »
 (Ephes., IV, 11-14).

2° Confirmatur item *ex Apostolorum praxi*, tum in transmittendâ doctrinâ tum in controversiis dirimendis. — Etenim 1° *quoad transmissionem doctrinæ*, Apostoli, ut videre est in Actibus (II, 41; IV, 4, etiamque VIII, 12), innumeros homines baptizant antequam sanè ii plurima Christianismi puncta per se didicisse potuerint; nihilominus autem postea quodcumque punctum ab omnibus sub excommunicationis pœnâ admitti ac retineri jubent (V., v. g., Tit., III, 10; I Tim., I, 6, et passim in Epistolis). — Porro hæc agendi ratio vix conciperetur, si non adfuisset in doctrinâ cui illi homines nomen dabant, aliquod principium quo semel admissis jam cætera omnia acceptata essent; et hoc non aliud esse poterat quam *principium auctoritatis*, id est, agnitio alicujus Auctoritatis infallibiliter docentis in Ec-

clesia (1). — Item 2° *quoad controversiarum solutionem*: in dubiis sive circa fidem, sive circa regimen, non Fideles pro suo sensu judicant, sed consulunt suum Apostolum, qui, ut videre est passim in Epistolis (V., v. g., I Cor., II Thess., Hebr., etc., etc.), decernit tanquam potestatem habens: en igitur *Auctoritas*. — Exortâ autem graviori controversiâ, putâ, de valore observantiarum legalium (Act., XV), mittunt ad Pastores: hi *conveniunt videre de verbo hoc*; ac, præeunte Petro, *judicant* quid fidelibus *imponendum*, fidenter dicentes: « *Visum est enim Spiritui Sancto et nobis...* » (v. 28. — Cfr Joan., XIV, 26, etc. suprâ cit.): exhinc decretum mittunt Fidelibus, qui non discutiunt sed cum *gaudio et consolatione* suscipiunt; ac demùm Paulus cum Silâ perambulat ecclesias *præcipiens custodire præcepta* (gr. *δογματα*) *Apostolorum et seniorum* (2): — en igitur *Auctoritas suprema et irrefragabilis*.

Certè talis agendi ratio non modò textibus suprâ allatis omninò consona est, sed etiam per se allegari potest contra quosdam individualistas hodiernos qui nec in Apostolis ipsis auctoritatem videre volunt (3). — Ut autem pariter valere possit contra cæteros adversarios, ostendendum esset ita actum fuisse propter auctoritatem non solis Apostolis propriam, sed post ipsos in Ecclesiâ duraturam. Porro ad id ostendendum, hic adjungi debent vel textus suprâ allati, vel exempla infrâ alleganda (4). Namque

(1). V. hoc argum. ap. Wiseman: *Confér.* V, p. 807, 808.

(2) In hoc Bossuet: « Voilà l'ordre; l'examen dans le Concile; l'obéissance sans examiner après la décision. » (*Confér. avec Claude*, paulò post. med.)

(3) Ita, v. g., Dus de Pressensé, in quem V. D. de Broglie, art. jam indic. suprâ p. 13.

(4) V. Wiseman, loco mox cit., p. 809.

II.

23. — **E Traditione** etiam probatur institutio auctoritatis infallibilis à Christo, sicuti constare potest sive *per discussionem factorum et testimoniorum*, sive *per præscriptionem*. Nempe

1° **Per discussionem factorum et testimoniorum**, ita ratiocinari potest :

Ecclesia seu cœtus Christianorum (n. 10) vel à primis suis temporibus credidit existere apud se auctoritatem in docendâ Christi doctrinâ infallibilem.

Atqui id à primis suis temporibus Ecclesia credere non potuit quin reverâ ab Apostolis acceperit.

Ergo reverâ id ab Apostolis accepit, — proindeque à Christo (Cfr suprâ p. 9, n. 5 *in fine*).

Major constabit expositione Traditionis, et *Minor* inde cum conclusione quasi sponte educetur.

Traditio autem exponi potest — I — è praxi Ecclesiæ in transmittendâ Christi doctrinâ, — II — ex eâdem praxi in dirimendis controversiis, — III — tandem ex expressis SS. Patrum testimoniis.

I. — *E praxi Ecclesiæ in transmittendâ Christi doctrinâ* ; — Nam Christianismi præcones certè non doctrinam proponere è Scripturis necessariò discutiendam, siquidem, teste S. Irenæo in n° sæculo, jam fuerint « multæ gentes » barbarorum qui in Christum credunt sine chartâ et « atramento (1) » ; illam verò prædicabant ex auctoritate

(1) « Quid autem ? Si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent » nobis, — nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt » iis quibus mittebant ecclesias ? — Cui ordinationi assentiunt multæ » gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine chartâ et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes..... Quibus si aliquis annuntiaverit ea quæ ab hæreticis adinventata sunt, proprio sermone eorum collo-

accipiendam, et quidem ex auctoritate cui ante omnia planè fidendum esset ; etenim juxta tunc vigentem *secreti* disciplinam, præcipua fidei dogmata non neophytis tradebantur antequam ipsi ad baptismum admitterentur, ne illa profanarent et ludibrio paganorum exponerent. Porro hæc agendi ratio, nedùm pia et prudens, fuisset periculosa, injusta et impia, nisi ante omnia admissum fuisset *principium auctoritatis*, admissionem implicans cæterorum omnium quæ per Ecclesiam ulterius traderentur (1).

II — *E praxi Ecclesiæ in dirimendis controversiis* : quæ nempe quotiès exortæ sunt, à primis Ecclesiæ temporibus, non cujusque judicio è Scripturis solvendæ relinquuntur, sed deciduntur per auctoritatem Episcoporum ad instar Apostolorum, sive absque concilio, ut plerùmque (2) ; sive in conciliis, ut factum est frequenter, v. g., in causis Montanistarum, Rebaptizantium, Pauli Samosatani, etc. : — en igitur *Auctoritas*. — Cui si obsistatur, supervenit auctoritas totius Ecclesiæ in Concilio generali repræsentatæ, aut saltem primi Pastoris ; et res omninò decisa habetur : — en igitur *Auctoritas suprema et irrefragabilis*.

Ita profectò **S. Basilus** : « Nullam vocem in eâ (fide nicænâ) » rejiciatis, sed sciatis trecentos decem et octo Patres, qui citra contentionem convenerunt, non sine Spiritûs Sancti afflatu locutos esse » (Epist. CXIV, *Cyriaco Tars.*). — « Quæ quum ita se habeant, inquit » **Constantinus Imp.** in epistolâ ad omnes ecclesias, hanc Dei » gratiam et mandatum reverâ divinum libenter suscipite ; nam quid » quid in sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id universum ad divinum nam voluntatem referendum est. » (Epist. *ad ecclesias*, ap. Euseb. *Hist. eccl.*, l. V, c. xx). — Et **S. Augustinus** : « Jam de hæc

» quens, statim concludentes aures, longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. » (S. Iren. : *Contra Hæreses*, l. III, c. iv, n. 2. — Cfr Wiseman, loc. cit., p. 806).

(1) Wiseman, p. 810 et seq.

(2) V. S. August. : *Lib. ad Bonifacium IV*, cap. ult.

» causâ (Pelagianorum) duo concilia (particularia) missa sunt ad Sedem
 » apostolicam : inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est : uti-
 » nam aliquando finiatur error! » (*Sermo 131*, in fine.)

Ergo, ut videre est, mos ille controversias solvendi, sicut et doctrinam tradendi, ex auctoritate nempe Pastorum Ecclesiæ utpote infallibili, post Apostolos perseveravit. — Hujus autem ratio apertius etiam declaratur

III — *ex expressis SS. Patrum testimoniis* : — Illi enim certè thesim nostram expriment qui — 1° doctrinam quæ in Ecclesiâ docetur, non aliam esse ac veram Christi doctrinam absolutè affirmant, quique simul — 2° id repetunt expressè è promissionibus Christi et assistentiâ Spiritûs Sancti, vel (quod in idem recidit) — 3° perpetuum fore firmissimè declarant.

Atqui — 1° toti sunt SS. Patres ut *doctrinam quæ in Ecclesiâ docetur, non aliam esse ac veram Christi doctrinam* absolutè affirmant, et inde regulam fidei omninò certam desumi velint.

Quod jam ita indicat **S. Ignatius** martyr ad Ephesios : « Cum
 » charitas non sinat me tacere de vobis, anteverti vos admonere ut
 » uniamini in sententiâ Dei (τη γρηγορη του Θεου). Etenim Jesus Christus,
 » inseparabilis nostra vita, sententiâ Patris est, ut *et Episcopi, per*
 » *tractus terræ constituti, in sententiâ Jesu Christi sunt.* Unde
 » decet vos in Episcopi sententiam concurrere, quod et facitis ». (*Epist. ad Ephes.*, c. III, IV). — Ideò, qui à communionem Pastorum in Ecclesiâ docentium secedunt, « dum conventicula sibi diversa con-
 » stituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt; » inquit **S. Cy-
 prianus** (*Lib. de Unitate Ecclesiæ*, c. XII). — « Catholica enim
 » verò vocatur Ecclesia, inquit **S. Cyrillus Hierosol.**, eo quòd per
 » totum orbem..... diffusa est, et quia *universè et absque defectu*
 » *docet omnia* quæ in hominum notitiam venire debent dogmata... » (*Catech. XVIII*, 23). — « Est enim regia quædam via, subdit
 » **S. Epiphanius**, nimirum *Ecclesia Dei ac veritatis iter.* Una-
 » quæque verò istarum hæreseon regîâ derelictâ viâ, ad dexteram
 » sinistramve deflectens, deinceps in immensum errorem sese comit-
 » tens abripitur..... Agite itaque, Dei servi ac sanctæ Dei Ecclesiæ

» filii, qui *certam fidei regulam* agnoscitis ac *viam veritatis* inceditis :
 » ne vos contrariæ voces abstrahant, etc..... » (*Adversus Hæreses* ;
 Hær. LX^a n. 12, 13). — « Ergo in hoc tabernaculo, exclamat **S. Au-
 » gustinus**, proteges eos (Deus) à contradictione linguarum. Con-
 » tradicunt linguæ multæ; diversæ hæreses, diversa schismata perso-
 » nant; linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ : tu curre ad ta-
 » bernaculum Dei, *Ecclesiam catholicam tene, à regulâ veritatis*
 » *noli discedere*, et protegeris in tabernaculo à contradictione lingua-
 » rum. » (*Enarratio II^a in Ps. XXX*; Serm. III, n. 8).

— 2° Illam porro in Ecclesiâ perfectam doctrinæ integritatem ac puritatem affirmant Patres è duplici titulo (quod sedulò notandum est); nam 1° illam tantùm allegare interdum videntur manifestam adulterationis absentiam quæ, primis præsertim sæculis, facillimè, per argumenta *discussionis* vel *præscriptionis*, ostendi poterat tum in successione Pastorum non interruptâ, tum in perfectâ eorum consensione. Et id quidem si solum daretur, non satis ad nostrum scopum faceret : inde enim probaretur Christi doctrinam non adulteratam fuisse in Ecclesiâ usque ad Patrum illorum tempora; non autem ideò sequeretur ipsam in posterum, mutatis circumstantiis, eodem beneficio semper fuisse fruituram (1). — Verùm et 2° (quod nobis omninò suffragatur) iidem etiam Patres rem ab altiori causâ repetentes allegant *assistentiâ à Christo promissam*, seu, ut verbis S. Irenæi utar, *charisma veritatis certum cum episcopatûs successione acceptum*.

(1) Hanc distinctionem non satis advertunt multi theologi in suis Patrum ad hanc thesim citationibus; et inde quidam Protestantes ansam arripuerunt distinguendi inter Patres *antenicænos* et *postnicænos*, quasi antenicæni quidem doctrinæ ecclesiasticæ apostolicitatem è solâ impossibilitate historica adulterationis, postnicæni autem è solâ Spiritûs Sancti assistentiâ probaverint (Ita v. g. Twisten : *Dogmatic.*, t. I, p. 117, juxta indicationem Em. Franzelin : *De div. Trad.* Th. X, p. 80). Quàm autem fictitia sit illa distinctio, facile noverit quisquis perlegerit hinc S. August., v. g., *Contra epist. Fundam.*, aut S. Vincent. Lirin., in *Commonit.*, etc., illinc ea quæ jammodò citamus.

Et id quidem ostendendum est è quibusdam citationibus : nempe

S. Irenæus, qui primus longam instituit ex professo disputationem *Contra hæreses* (1), ipsis ubique opponit non Scripturas tantum sed et præcipuè Ecclesiæ traditionem, utpote quæ vel sola absque Scripturis sufficere posset (L. III, c. IV, loco modò cit.). Hujus porro firmitatem, non tantum historicè è *consensione* et *successione* demonstrat (L. I, c. x; L. III, c. III), sed et à propriâ repetit radice, scil. à Spiritu Dei, nempe : « Prædicationem Ecclesiæ, inquit, undi- » que constantem et æqualiter perseverantem..... ostendimus..... » per universam Dei dispositionem et eam quæ secundum salutem » hominis est, solitam operationem, quæ est in fide nostrâ : quam » perceptam ab Ecclesiâ custodimus, et quæ semper à *Spiritu Dei* » quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescens, et » juvenescere faciens vas in quo est. Hoc enim Ecclesiæ creditum est » Dei munus..... ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur : et » in eo disposita est *communicatio Christi, id est Spiritus Sancti* » *arrha incorruptelæ, et confirmatio fidei nostræ*, et scala ascensionis ad Deum..... *Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei*; et ubi » Spiritus Dei, illic Ecclesia, et omnis gratia : *Spiritus autem veritas*..... (L. III, c. XXIV, n. 1)..... Quapropter eis qui in Ecclesiâ » sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab » Apostolis, sicut ostendimus; *qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt*..... » Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea quæ est ab Apostolis Ecclesiæ successio, et id quod est sanum et irreprehensibile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et... fidem nostram » custodiunt... et Scripturas sine periculo nobis exponunt.... (L. IV, » c. XXVI, n. 2, 5; Cfr etiam c. XXXIII, n. 8)..... Et Ecclesiæ prædicationis vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei...; et hæc est *επιταχουζος* lucerna, Christi bajulans lumen (L. V, c. XX, n. 1.) »

(1) Cujus toto ferè textu deperdito, veterem citamus versionem latinam, fidelissimam, ejusdem circiter antiquitatis et Tertulliano certè anteriorem (V. DD. Freppel : *S. Irénée*, 9^e leçon, p. 179).

Huc usque Irenæus, ille theologorum antiquissimus; — neque absimiliter ab eo **Tertullianus** in suis *Præscriptionibus adversus hæreticos*. Illic siquidem non modò contendit Scripturas non ad privatum cujusque judicium esse determinandas et interpretandas, bene verò ad sensum Ecclesiæ; sed etiam hujus sensus legitimitatem probat per præscriptionem, quam quidem statim è *successione et consensione* Pastorum rationabiliter inferri posse ostendit sed quasi ad abundantiam juris, et aliud præsupponendo veritatis argumentum, *assistentiam* scilicet *Spiritus Sancti*. Etenim « age nunc, inquit (c. XXVII), omnes » (ecclesiæ) erraverint....; *nullam respexerit Spiritus Sanctus, uti » eam in veritate deduceret* (Joan., XIV, 16.) *ad hoc missus à » Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis* » (Joan., XV, 16); *neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius,* » *sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere quam ipse » per Apostolos prædicabat* : *ecquid verisimile est, ut tot ac tantæ in » unam fidem erraverint?* etc..... (V. *suprà* p. 10 not.). »

Item etiam **Origenes** in hæc Matthæi, XXIV, 13, 16 : *Ecce hæc Christus, ecce illic*..... *Ecce in solitudine*..... *Ecce in domibus*..... « Quidam....., quando secretas et non vulgatas Scripturas proferunt » ad confirmationem mendacii sui, videntur dicere : *Ecce in solitudine » ne verbum est veritatis*.... Quotiès autem canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis Christianus consentit et credit, videntur dicere : *Ecce in domibus verbum est veritatis*. Sed nos illis credere » non debemus, nec exire à primâ et ecclesiasticâ traditione, nec » aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei » tradiderunt nobis.... Non debemus attendere eis qui dicunt : *Ecce » hic Christus, non autem ostendunt eum in Ecclesiâ quæ plena est » fulgore ab oriente usque ad occidentem, quæ plena est lumine vero,* » *quæ est columna et firmamentum veritatis, in quâ totû totus est » adventus Filii hominis dicentis omnibus qui ubique sunt* : *Ecce » Ego vobiscum sum omnibus diebus vitæ, usque ad consummationem sæculi*. » (In *Matth. Commentariorum Series*, n. 46, 47). » In civitatem muris carentem non vult nos intrare sermo Dei, sed in » muratam, Ecclesia Dei viventis *veritate Verbi munita est*. Hic » namque murus est, etc... » (In *Jerem. Homil. V.*, n. 16). — Iisdem ferè verbis, **S. Athanasius** « civitatem munitam vocat Ecclesiam, quæ *Dei virtute circumvallata est* » (*Expos. in Ps.* 59).

Ita demum, et quidem quam expressissimè, **S. Augustinus** ubi

de non iterando baptismo ab hæreticis collato, *contra Cresconium Donatistam* : « Quamvis hujus rei certè de Scripturis canonicis non » proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hæc » re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod universæ jam pla- » cuit Ecclesiæ quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas : » ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit » hujus obscuritate quæstionis, eandem *Ecclesiam de illâ consulat*, » *quam sine ullâ ambiguitate sancta Scriptura demonstrat*. Si » autem dubitas quod Ecclesiam quæ per omnes gentes numerositate » copiosissima dilatatur, hæc sancta Scriptura demonstrat...., multis » te manifestissimis testimoniis ex eadem auctoritate prolatis onera- » bo. » (*Contra Crescon. l. I, c. xxxiii*; cfr et *Epist. ad Catholicos seu de unitate Eccl.*, n. 63.)

— 3^o His et cæteris hujusmodi addere est ea quæ innu- meri Patres dixerunt de *perpetuitate Ecclesiæ Christi promissâ*, quæ nimirum idem sonat ac *infallibilitas*, siquidem, ut jam observatum est (p. 52), illa non foret amplius *Ecclesia Christi*, quæ doctrinam Ejus immutasset aut aliam apud se doceri sineret. Et ita reverà SS. Patres intellexisse patet vel ex ipsis eorum verbis; quippe qui non tantum contra vim, sed et contra *hæresim* Ecclesiam indesinenter perstituram affirmant.

Porro de *perpetuitate* audi primùm **S. Joannem Chrysostomum** ita, de more suo, eloquenter : « Nihil Ecclesiâ potentius, ô » homo. Bellum solve, ne robur dissolvas tuum; ne inferas cælo bel- » lum. Si homini bellum inferas, aut vinces aut superaberis; si Ec- » clesiam oppugnes, vincere nequis; omnibus quippe fortior est Deus..., » Ecclesia est ipso cælo fortior : *Cælum et terra transibunt*, » *verba autem mea non transibunt*. » Quæ verba? « *Tu es Petrus*, » *et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, et portæ inferi* » *non prævalebunt adversus eam*. ».... Domini pignus habeo : nùm » propriis sum viribus fretus? Scriptum Ejus teneo. Hic mihi baculus; » hæc mihi securitas; hic mihi portus tranquillus. Etsi conturbetur » orbis totus, rescriptum Ejus teneo; Ejus litteras lego : hic mihi » murus, hoc præsidium. Quas litteras? « *Ego vobiscum sum omni-* » *bus diebus usque ad consummationem sæculi*. » « Christus mecum :

» quem timebo? Etsi fluctus adversum me concitentur, etsi maria, » etsi principum furor : mihi hæc omnia araneâ sunt viliora. » (*Hom. ante exilium*, n. 1, 2; ubi totus legatur locus.) — Quosnam verò contra inimicos ita prævalitura sit Ecclesia, expressè declarant plu- rimi Patres. — « Per inferi portas, inquit **S. Isidorus Pelusiota**, » divinus sermo *impiorum hominum cætus atque hæresum blasphemias* intelligit : quibus omnibus obsistens Dei Ecclesia, eas quidem » frangit et expugnat, *ab iis autem vinci non potest*. » (L. I, *Epist.* 242). Cfr **S. Alexandrum**, Alex. episcop. : *Epist. ad Alex. C. P.* n. 12). — « Tanta enim divinitus soliditate munita est, inquit **S. Leo**, » ut eam *neque hæretica unquam corrumpere pravitas*, nec pagana » potuerit superare perfidia. » (*Sermo III, de natali ipsius*, c. m). — « Sancta Ecclesia, inquit **S. Gregorius Magnus**, in hoc sæculo » à *catholica fide nequaquam deficiet*.... *Portæ inferi non præva-* » *lebunt adversus eam. Portæ inferi hæreses sunt*, etc.... » (*In Ps. Pœnit.*, Ps. V, n. 36). — Ipsa autem, uti jam antea dixerat **S. Augustinus**, « ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia » catholica, *contra omnes hæreses pugnans : pugnare potest, expu-* » *gnari tamen non potest*. Hæreses omnes de illâ exierunt, tanquam » sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa autem manet in radice suâ, » in vite suâ, in charitate suâ. Portæ inferorum non vincent eam... » *Non inclinabitur in sæculum sæculi. Ipsa est prædestinata co-* » *lumna et firmamentum veritatis*. » (*De Symbolo*, sermo I ad catechum. c. vi; — *Enarr. in Ps. 103*, sermo I, n. 17).

Hæc pauca è plurimis hujusmodi locis sufficiant ad declarandam totius Traditionis mentem, quam cæterum ita **S. Vincentius Lirinensis** exprimebat : « *Nemini liceat præter id quod Ecclesia catho-* » *lica usquequaque evangelizat, accipere*.... Annuntiare ergo aliquid » Christianis catholicis, præter id quod acceperunt, nunquam licuit, » nusquam licet, nunquam licebit; et anathematizare eos qui annun- » tiant aliquid præterquam quod semel acceptum est, nunquam non » oportuit, nusquam non oportet, nunquam non oportebit. Quæ cum » ita sint, estne aliquis vel tantæ audaciæ qui præter id quod apud » Ecclesiam annuntiatum est, annuntiet, vel tantæ levitatis qui præter » id quod ab Ecclesiâ accepit, accipiat? (*Commonil. 1^{um}*, c. viii)..... » *Christi verò Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se* » *dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit,* » *nihil addit*, non amputat necessaria, non apponit superflua, non

» amittit sua, non usurpat aliena; sed omni industriâ hoc unum
 » studet ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa anti-
 » quitus informata et inchoata, accuret et poliat; si qua jam expressa
 » et enucleata, consolidet, firmet; si qua jam confirmata et definita,
 » custodiat; etc.... » (c. xxiii. — V. ap. Migne : *Theol.*, t. I).

En igitur verè verbis expressa, non secus ac praxi, sententia horum
 omnium beatorum Patrum : « Quorum, uti concludebat idem Vin-
 » centius Lirinensis, sanctum catholicumque consensum ne quis sibi
 » temerè contemnendum fortè arbitretur, ait.... Apostolus : *Et quos-*
 » *dam quidem posuit Deus in Ecclesiâ primùm Apostolos...., se-*
 » *cundò Prophetas.... tertiò Doctores....* Hos ergò in Ecclesiâ Dei
 » divinitus per tempora et loca dispensatos, quisquis in sensu catho-
 » lici dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contempserit, *non*
 » *hominem contemnit sed Deum* » (Ibid., c. xxviii).

Porrò sic probatâ multipliciter *Majore* nostrâ de fide
 constanti Ecclesiæ in infallibilitatem auctoritatis apud se
 extantis, jam facilè patet *Minor*, scilicet, non potuisse ta-
 lem fidem nisi ab Apostolis venire. Quis enim sanâ mente
 possit tot venerabiles Patres, Christo et Apostolis ad eò ævo
 et studio propinquos, erroris incusare, quasi statim et con-
 tinuè à tempore Apostolorum omnes sive voluntariè sive
 involuntariè uno ore conspiraverint in sacrilegam promissionum
 Christi detorsionem et tyrannicam inde in fratres dominationem,
 — quam isti tamen silenter et reverenter admiserint?...

Ergò reverà illam infallibilitatis fidem Ecclesia acceperat
 ab Apostolis, — proindeque à Christo.

Confirmari etiam potest Patrum testimonium ex ipsâ
Hæreticorum agendirationem. Hi enim vel suum sensum
 tanquam Ecclesiæ sensum proponebant; — vel deinde
 ubi Ecclesiæ auctoritas contra ipsos declarari incipiebat,
 hanc eludere tentabant per appellationes interminatas;
 — vel demùm eam suæ sectæ arrogare audebant. Vix autem
 quemquam per plura sæcula reperire est qui *Principium*
auctoritatis negaverit, et non, speculativè saltem,

agnoverit Christi doctrinam ab infallibili auctoritate apud
 Ecclesiam semper vigente esse accipiendam. Neque ipse
 Lutherus aliam primùm inivit viam.

Et certè, his præsertim perpensis, jam breviter argu-
 mentari potest

24. — II^o per *præscriptionem* (V. suprâ, n. 6). Ete-
 nim

Omnes generatim Christiani, aliquo saltem tempore ante
 Reformationem, unanimiter crediderunt apud Ecclesiam
 existere auctoritatem in docendâ Christi doctrinâ infalli-
 bilem : — id quippe constat non solùm apud Occidentales,
 si paucos excipias Reformatorem præcursores (1); sed et
 apud Orientales etiam ab Ecclesiâ romanâ jampridem separa-
 tos, uti Græcos, Jacobitas, Nestorianos, etc., qui nempe
 singuli hanc auctoritatem ecclesiis suis attribuerunt (2) :
 — neque tamen ullum de hujus dogmatis introductione
 vestigium in sæculis anterioribus apparet.

Atqui sanè hæc persuasio in re tanti momenti, tam
 practicâ, tam innatæ animo humano superbæ oppositâ,
 nisi reverà à Christo et Apostolis per traditionem omni
 exceptione majorem venisset, non potuisset ita obtinere
 per totam Ecclesiam, imò apud sectas ab invicem divisas
 etiamque sibimet inde inconsequentes factas; — aut certè
 non potuisset ita obtinere sine resistentiis historicè notis,
 sine protestationibus sive Fidelium sive ipsorum Hæreti-

(1) In hos, nempe, Albigenses, Valdenses, Wiclefistas et Hussitas, V. Bossuet : *Variat.*, l. XI.

(2) Regnier : *De Ecclesiâ*, S. I, c. II, arg. 4; ap. Migne, *Theol.*, t. IV, p. 74. — V. testimonia, Græcorum præsertim, in hoc etiam puncto per occasionem indicata ap. magnum opus : *La Perpétuité de la foi touchant l'Eucharistie*, 3^{ème} p., l. VIII : *Preuves authent. de l'union des égl. d'Orient*, etc. passim; t. III veteris edit. (juxta quam varia loca indicat Nicole : *Les Prét. Réf.*, 1^{re} p., ch. xviii), — t. II edit. Migne; — itemque 3^{ème} p., l. VII : *De la Tradit. et de ce qui y a rapport*; t. V vet. edit.; — t. III edit. Migne.

corum, qui nempe, ut modò dictum est, ejus quidem consequentias eludebant sed principium admittebant aut saltem directè impugnare non audebant (1).

Ergo reapse hoc dogma ab Apostolis proindeque ab ipso Christo venit.

Et verò non homines solùm, sed et Deus certè, si Providentiæ ejus tantisper credas, obstare non omisisset ne ementitæ hujusmodi infallibilitatis dogma apud Ecclesiam reciperetur. Quomodò enim, etiamsi abstrahamus ab expressissimo Christi promissionum sensu, tam citò tamque diuturnè permisisset apud Ecclesiam suam universim prævalere non modò errorem, sed principium errorum adeò ferax adeòque irremediabile ut tota Ejus doctrina inde superstitionibus fuerit fœdata, et successor Petri illius super quem Christus ædificandam declaraverat Ecclesiam, factus fuerit, juxta Protestantes plurimos, ipse Antichristus?... Certè portæ inferi tum prævaluissent adversùs Ecclesiam Christi (2).

Ergo per *præscriptionem* humanam, imò, ut ita dicam, divinam, non secùs ac per factorum et testimoniorum *discussionem*, probatur è *Traditione* institutam fuisse à Christo auctoritatem in docendâ illius doctrinâ infallibilem : — Aliunde idem probatur è *Scripturis* : — Ergo talis auctoritas reverà à Christo instituta est.

Aliunde talis à Christo instituenda fuisse videtur, attentâ naturâ humanâ, itemque magis ac magis, attento illo quo Revelatio christiana data est, modo.

Ergo denique, sicut in operibus Providentiæ fieri solet, omnia concordant in hanc nostram thesim.

(1) Plures quidem hæretici, Gnostici, Ariani, etc., principium istud indirectè labefactabant dum ad Scripturas solas provocare et Traditionem Ecclesiæ recusare conabantur, (V. ap. Mœhler : *Symbol.*, § xxxix); sed fortiter à Patribus refutabantur, et novitatis in hoc etiam ipsi convincebantur.

(2) Cfr J. de Maistre : *Du Pape*, *Concl.*, IX.

25. — OBSERVATIO : Quisnam jam nunc esse possit illius theseos usus ? — Illa quam modò probavimus thesim, momenti quàm maximi est : siquidem non modò universi hujusce tractatùs fundamentum ponit, et ejusque ferè puncti in decursu evolventi rudimenta continet, sed et novum nobis suppeditat medium quo sæpe jam uti licebit. Ex eâ enim jam demonstratum manet aliquam Auctoritatem in docendâ doctrinâ Christi infallibilem semper existere *alicubi* apud Christianos, etsi nondum planè determinaverimus penès quos illa ibi resideat. Igitur quotiès in aliquo sæculo, apud omnes eo tempore christiani nominis homines, viderimus *ubique* doceri aliquod doctrinæ punctum tanquam necessariò credendum, jam eo ipso certi erimus hoc ipsum doceri ab Auctoritate infallibili, quæcumque sit, inter Christianos tunc temporis existente. Hoc proinde doctrinæ punctum jam reapse habendum erit divinitùs revelatum, quin necesse sit in hoc Scripturas proferre aut à tempore Apostolorum ostendere sive positivam testimoniorum seriem, ut in argumento discussionis, sive perpetuam contradictionum absentiam, ut in argumento præscriptionis. Hæc tantùm fieri poterunt, si lubet, *ad abundantiam juris*.

Illius porro observationis usus statim erit in artic. seq.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE EXISTENTIA AUCTORITATIS LEGISLATIVÆ.

26 — In quo consistat auctoritas legislativa apud Ecclesiam. — 27 — PROPOSITIO : *Auctoritas à Christo instituta ad docendam Ipsius doctrinam habet etiam ab Illo potestatem leges ac præcepta ferendi ad complendam Ipsius legem*; etenim ASSERTIO 1^a : — Talis potestas ita à Christo conferenda fuisse videtur, et — 28 — ASSERTIO 2^a : — ita à Christo reapse collata est.

29 — COROLLARIUM CAPITIS : Ergo Ecclesia est *societas*.

26. — In quo consistat auctoritas legislativa apud Ecclesiam : — Postquam per auctoritatem doctrinalem